

bentur apud Tertullianum Libr. de Resurrex. Carnis; videlicet: Caro ungitur, ut anima consecratur: caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur. Ceterum hæc opinio nullo stabili innixa fundamento de se corruit, & prædicta Unctio, quæ erat introducta, motu devotionis ab aliquibus Episcopis Gallicæ, à pluribus sæculis est intermissa; & sic concluditur, restringi Materiam Ordinis Diaconatus tum ad impositionem Manus, quam facit Episcopus super caput Ordinandi, tum ad traditionem Libri Evangeliorum; Formam verò ad Verba, quæ in utraque actione ab eodem Episcopo proferuntur.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Ut declarentur Officia, ac Ministeria Diaconorum, hi in tria genera dividuntur, & ostenditur, Diaconos esse vel Maximos, vel Majores, vel Inferiores. Primi sunt Cardinales Diaconi S. R. E. quorum origo, numerus, & Officia explicantur, pluribus eruditionibus circa eisdem insertis. De majoribus Diaconis, idest Archidiaconis Ecclesiarum Collegiarum agitur, & de ministeriis ad eos de jure spectantibus. Pariter narratur Officia Diaconorum inferiorum, tum de jure Divino, tum ex commissione Ecclesiæ eis competentia. Tandem differtur de Flabello, quod Diaconi Græci ex officio tenent in manibus, ac movent ad Altare: ejusque mystica significatio, cum aliis curiosis Ritibus Maronitarum, exponitur.

SUMMARIUM.

- 1 Diaconi Græci, Levitæ hebraicè, Ministri latini dicuntur.
- 2 Diaconi alii Maximi, alii Majores, alii Inferiores.
- 3 Cardinales S. R. E. Diaconi sunt maximi.
- 4 Cardinalium omnium numerus septuagesimus. Et cur?
- 5 Cardinalium nomen, ac Dignitas tempore S. Sylvestri Papæ.
- 6 Cardinales undè sic nominati?
- 7 Cardinalium numerus olim varius.
- 8 Cardinales alii Episcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi.
- 9 Diaconi Cardinales olim septem tantum. Et cur?
- 10 Angelorum septem coram Deo astantium nomina.
- 11 B. Amadei Lusitani Reformantis Ord. S. Francisci laudes.
- 12 Diaconi Cardinales septem cur dicti Regionarii?
- 13 Cur deinde quatuordecim; ac postea decem, & octo?
- 14 Cardinales Episcopi VI. Presbyteri L. Diaconi XIV.
- 15 Diaconie, seu Tituli Cardinalium Diaconorum qui sint?
- 16 Diaconorum Cardinalium antiquitatis Officia tria. Et quæ?
- 17 Mensæ, seu Tabule lignæ super qua Christus instituit Eucharistiam descriptio, & conservatio.
- 18 Diaconorum Cardinalium nunc Officia quinque. Et quæ?
- 19 Conceptorium Papale quid sit? & Quotuplex?
- 20 Congregationes Cardinalitiae Urbis Romæ quæ?

- 21 Cardinales tenentur residere Romæ. Pæne contra absentes.
- 22 Diaconi Cardinales an possint solemniter benedicere populum?
- 23 S. Benedictus Abbas Diaconatus Ordine fuit contentus. Item S. Maurus, ac S. Placidus.
- 24 Archidiaconi nomen quid significet?
- 25 Archidiaconi prima dignitas de jure in Collegiis. Et cur?
- 26 Archidiaconorum Officia antiquis temporibus.
- 27 Consuetudo attendenda circa Officia Archidiaconorum.
- 28 Archidiaconatus Paduæ, ac Plebis Sacri est secunda Dignitas.
- 29 Archipresbyter Patavinus est prima Dignitas.
- 30 Diaconorum ministeria quatuor ex jure Divino. Et quæ?
- 31 Mensæ tempore Apostolorum duplices, Sacra, & Profane.
- 32 Diaconi septem ordinati ab Apostolis, ut Eucharistiam distribuere.
- 33 Baptizare solemniter quando Diaconus possit?
- 34 Diaconorum ministeria septem ex commissione Ecclesiæ?
- 35 Benedictio Cerei Paschalis an competat Diacono de jure Divino?
- 36 Munda cor meum &c. an recitet Diaconus ante Praeconium Exultet.
- 37 Praeconium Exultet &c. cantatio cur commissæ Diacono?
- 38 Græcorum Diaconorum officium tenendi in Missa Flabellum. Et quid sit?
- 39 Flabelli prædicti mystica significatio.
- 40 Maronitarum Flabella, & eorum usus in Missa.
- 41 Organi vox tremula cur sonetur ad elevationem Hostiæ in Missa?

Restat pro integra Diaconatus Ordinis explanatione, ut Diaconorum officia, seu ministeria declaremur; triplici enim voce Diaconi nuncupantur; Hebraica idest Levitæ; Græca, nempe Diaconi, & Latina scilicet Ministri; & his tribus vocibus formatur eadem significatio, quæ est ministrare, ac servare Sacerdoti, juxta id, quod Deus præcepit Moysi in Lege Veteri Numer. 3. 6. Aplica Tribum LEVI, & fac eam stare in conspectu Aaron Sacerdotis, & ministrare ei; & excubent, & observent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo Testimoni, & custodiant vasa Tabernaculi servientes in ministerio. Pro majori autem intelligentia dicendorum advertendum est, Tria esse genera Diaconorum, alii enim sunt Maximi, alii Majores, & alii Inferiores, ac de singulis singillatim est agendum, & eorum officia, ac ministeria demonstranda.

Diaconi Maximi sunt Eminentissimi S. R. E. Cardinales Diaconi; siquidem Sacrum Collegium Cardinalitium constat ex Episcopis sex, ex Presbyteris quinquaginta, & ex Diaconis, quatuordecim; qui omnes constituunt numerum septuaginta Cardinalium juxta magistralem Constitutionem Sixti Papæ Quinti, quæ legitur in Bullario novo tom. 2. Constit. 50. §. Quoniam verò pag. 161. quod quidem Eminentissimum Cardinalium Collegium à jure Divino originem duxisse Canonistæ testantur, tum ex verbis Domini ad Moysen Numer. 11. 16. Dixit Dominus ad Moysen, congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, & magistri; & ducet eos ad ostium Tabernaculi faderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tecum, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris; tum ex electione duodecim Apostolorum, quam fecit Christus Dominus Luc. 6. 13. & aliorum septuaginta duorum discipulorum. Luc. 10. 1. unde ait Innocentius III.

tius III. in cap. Per Venerabilem. Qui filii sint legit. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis Fratres Nostrum, qui Nobis jure Levitico, in executione Sacerdotali Officii Coadiutores existunt. Et Eminent. Card. Paleottus in tract. de Sac. Constit. Constit. membr. 5. cap. 11. subdit: Alii autem eos in locum Apostolorum, qui Christo Domino Nostrum assidebant, successisse tradunt, quæ magnorum Virorum est sententia, & magna probabilitate nititur: certum enim est Christum Dominum Redemptorem Nostrum, cum in terris versaretur, sibi duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos habuisse, qui sibi assiderent. Hoc autem nomen Cardinalis, seu potius dignitas Cardinalitatis antiquissima est, de ea enim mentio expressa habetur in Concilio Romano à S. Sylvestro Papa celebrato Anno 324. dum in cap. 6. sancivit, Ut Diaconi non essent plures, nec amplius, per Parochiarum examen, nisi duo; Et Diaconi Cardinales Urbis Romæ septem. Et in Synodo Nicæna habita Anno sequenti 325. sub eodem S. Sylvestro, iidem Cardinales nominantur in decreto firmato ab eadem Synodo, circa modum procedendi judicialiter contra Prælatos Ecclesiarum, quod refertur in cap. Præf. 2. q. 4. his verbis: Præf. non damnabitur, nisi cum 72. testibus; nec Præf. Summus à quocumque judicabitur, quoniam scriptum est, Non est discipulus super Magistrum. Presbyter autem Cardinalis nisi cum 44. testibus condemnabitur. Diaconi vero Cardinales Urbis Romæ nisi cum 27. testibus condemnabitur. Ideoque dicuntur Cardinales à Cardine Apostolicæ Sedis, cui assunt; nam, ut ait Anacleus Papa in cap. Sacrosancta, 22. diff. in fin. Apostolica Sedes Cardo, & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio esse constituta, & sicut Cardine ostium regitur, sic hujus Sanctæ Sedis auctoritas omnes Ecclesiæ (Domino disponente) reguntur. Unde Archidiaconus Canonista in eodem textu ita scribit: Senatus Cardinalium à Cardine nomen accepit, quasi se regat, & alius; sicut enim ostium regitur per Cardinem, ita Ecclesiæ per istos: & Cardinales Cardines dicuntur in Romana Ecclesia duplici similitudine, vel quia sicut domus habet Ostium, & Cardinem, sic Ecclesiæ habet Papam, quæ est Ostium Dei, vel Ecclesiæ, & Cardinales, qui sunt Cardines. Prout etiam Zeechilus de Republ. Eccles. part. 2. tit. de Cardinal. hæc subdit: Nomen Cardinalis idem fere significat, quod Principalis; vel is, à quo alii dependent; ut à Cardine ostia pendere solent; unde & Veni Cardinales, Virtutes Cardinales, & puncta Cæli Cardinalia dici solent.

Igitur Cardinalitatis Senatus constat septuaginta Proceribus Sacris ex antedicta Constit. 50. Sixti V. qui hunc numerum firmavit ad imitationem septuaginta Seniorum, quos Deum dedisse Moysi Coadiutores in regimine populi Hebraici ex Num. 11. diximus supra; etsi numerus iste ante Sixtum V. pro varietate temporum varaverit; itaque aliquando decreverit usque ad octo tantum Cardinales, aliquando auctus fuerit usque ad sex, & septuaginta, ut ex probatis Auctoribus ostendit Jacobus Cohellius in Notitia Cardinalatui cap. 3. ubi in fine ex doctrina Martini Laudensis, Cassanæ, Zeechii, ac Mandosii advertit, posse Summum Pontificem augere prædictum numerum Septuaginta, non obstante Sixtina Constitutione; & cap. 4. docet, in tres Ordines distinctum esse numerum Cardinalium, Episcoporum scilicet, Presbyterorum, & Diaconorum, ad similitudinem Cœlestis, ac Triumphantis Ecclesiæ, ubi Omnipotens humani generis Auctor tres summos, ac præcipuos Angelorum Ordines, instituit, Seraphim, Cherubim, & Thronorum; & sic in Romana Ecclesia sex Cardinales Episcopi significant Seraphim, qui præ ceteris in amore sui Creatoris ardentissimi, & intimi sunt; Cardinales Presbyteri designant Cherubim, qui sunt Sapientia, & eruditione præstantissimi; Cardinales Diaconi re-

præstant Thronos, doctrina, ac iustitia rectissimi; quod latius demonstrat Mosconius de Majest. Milit. Eccl. lib. 1. part. 1. cap. 5. & his tribus Ordinibus Cardinalium utitur Papa velut Summus Sacerdos, & Supremus Hierarcha in regimine totius Orbis Christiani in tribus illis hierarchicis actibus, qui sunt purgare, illuminare, ac perficere, juxta doctrinam S. Dionysii Areopagite de Cælest. Hierarch. cap. 3.

Et quod attinet ad Cardinales Diaconos, quos Maximos nominamus, hi ab initio Ecclesiæ septem fuerunt, tum in Alma Urbe, tum in aliis Ecclesiis Cathedralibus juxta Sanctionem S. Evaristi Papæ Anno 112. quæ legitur in cap. 11. diff. 93. præcipientem ita: Diaconi (qui quasi oculi videntur esse Episcopi) in unaquaque Civitate juxta Apostolorum consuetudinem debent esse. Septem enim Diaconos elegerunt Apostoli ab initio Ador. 6. 5. ad imitationem septem Spirituum Deo adstantium, de quibus Raphael ait ad Tobiam 12. 15. Ego sum unus ex septem, qui adstant ante Dominum. Et S. Joannes in Apoc. 8. 2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, quorum nomina recenset Nicolaus Serarius in Tob. 12. 15. dicens, quod hi vocantur Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Sathiel, Jechiel, & Barabiel. At Cornelius à Lapide in Apoc. 1. 4. col. 4. notat, quod ultima quatuor nomina incerta sunt; & sola tria prima agnoscuntur, & coluntur ab Ecclesiâ, ut dictum fuit in Concilio Romano, cui præfuit Zacharias Papa Anno 745. cum prima tria tantum habebantur in Scriptura Sacra approbata; et si alia recensentur à pluribus SS. Patribus ibi per Cornelium à Lapide allegatis; qui etiam adjungit, Nomina septem Angelorum jam recensita divinitus fuisse revelata B. Amadeo Viro sanctitate, miraculis, ac prophetiâ illustri; qui fuit familiaris Lusitanæ, & Dei amore incensus, spreto opibus, ac statibus, monitu S. Francisci ejus Ordinem amplexus est, illiusque reformationem, quæ Amadeorum vocatur instituit; & à Lusitanis B. Amator, ab Italis B. Amadeus vocatur. Hinc à Sixto IV. in consensum electus, ab eo obtinuit Montem Aureum, vulgò dictum Montorium, ubi Crucifixus fectus S. Petrus Apostolus; ibique Monasterium sui Ordinis extruxit; & de ejus Sanctitate, & revelationibus multa habent Annales Ordinis S. Francisci part. 3. libr. 6. cap. 30.

Hunc autem Septenarium numerum Diaconorum Cardinalium longo tempore durasse, neque auctum fuisse usque ad Decimum Sæculum testatur Panvinus de Septem Urbis Eccles. cap. 3. & Ciacconius in Vita S. Sixti Papæ Primi; ac ratione, quia post incendiam Urbem à Nerone, in ipsa remanserunt septem Regionibus tantum, & his Regionibus deputati fuerunt ipsi septem Diaconi Cardinales, ut in eis Christianam Religionem promoverent, pauperum inopiæ de Ecclesiæ thesauris, ac fidelium oblationibus subvenirent, vitæque, si opus esset, exposita pietatem tuerentur; quæ de causa ipsi Diaconi appellabantur Regionarii, ut scribit Emin. Card. Baronius ad Annum 324. notans, quod tunc S. Sylvestri Papa, cum deessent Diaconi duo, & essent in humanis tantum quinque, videlicet Fabianus, Marcellus, Liberius, Archidamus, & Julius, ordinati, & additi fuerunt ab eodem Pontifice alii duo, Præfatus scilicet, & Theodorus. Verumtamen restituit XIV. in Urbe Regionibus, & aucta Romanæ Ecclesiæ Majestate, ordinati sunt alii septem Diaconi Cardinales, ut unaquæque Regio suam haberet; ac deinde cum etiam Summus Pontifex egeret aliquorum Diaconorum assistentia, alios quatuor Diaconos, Cardinales creavit, qui Palatini, nam Palatio Papæ incumbant, nuncupabantur, & Pontifici Romano celebranti ministrabant. Post plura tantum sæcula variavit hic numerus, adeo ut testetur Panvinus in Vita Higinii Papæ tom. 1. pag. 47. sub Paulo III. Anno 1545. Diaconos Cardinales fuisse XIX.

sub Pio IV. extitisse XXV. & tandem sub Sixto V. redactum esse numerum eorumdem ad XIV. ut in eisdem Sixti Const. 50. ubi, ut dictum est supra, in 5. Quomodo vero, sancivit, ut Cardinales Episcopi essent VI. Presbyteri L. Diaconi vero XIV. & sic omnes simul ascenderent ad LXX. de quo numero, præter antiquos Scriptores, eleganter differit Emin. Card. de Luca in *Opusculo il Cardinalis cap. 3.* seu in quo notat, has esse Diaconas, seu Titulos

XIV. Diaconorum Cardinalium, videlicet: S. Maria in Via Lata. S. Maria de Scala. S. Adriani. S. Nicolai in carcere Tulliano. S. Agathe. S. Marie in Domnica. S. Marie in Cosmedino. S. Angeli in Piscaria. S. Georgii ad Velum Aureum. S. Marie in Aquiro. S. Cosme. S. Damiani. S. Viti. S. Modesti. S. Marie in Porticu. S. Laurentii in Damaso.

Officia itaque, ac Ministeria horum Maximorum Diaconorum alia erant in tempore antiquo, alia in præsentia. Antiquitus tria erant. Unum ministrandi Summo Pontifici celebranti, & eidem, dum prædicaret, assistendi, ut ex sanctione S. Evaristi in *cap. Diaconi 93. dist. Alterum* prospicere necessitatibus tum spiritualibus, tum temporalibus fidelium in Regione sibi assignata habitantium, prout ex *Epist. 1. S. Clementis* relata in *cap. 6. ead. dist. 93.* in qua ita dicit: Diaconi Ecclesie tamquam oculi sint Episcopi, obervantes, & circumstantes cum reverentia adus totius Ecclesie, & perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri precipitum, & proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum. Sed & de peregrinis similibus Episcopo suggerant refovendis, & cetera his similia, quæ ad cultum Ecclesie, & disciplinam ejus pertinent, Diaconi cure sint. Tertium erat, quod narrat Emin. Card. Raponus Lib. 2. de Basilica Lateranen. *cap. 8. pag. 140. ex Innocentio III. lib. 1. de Myster. Missæ cap. 5.* his verbis: Diaconi Cardinales Mensam Lateranensem Altaris supra humeros suos in die Cene deportant, & reportant in Sabbato.

Mensa prædicta Tabula est ligneæ, atque sacrosancta, super qua Christus Dominus feria quinta ante Parasceve cenavit cum Apostolis; & in ea instituit Augustissimum Eucharistie Sacramentum; ac primum obtulit Sacrificium Corporis, ac Sanguinis sui Aeterno Patri sub speciebus Panis, & Vini, tamquam Summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; quæ quidem Mensa, ac Tabula ligneæ servatur magna cum veneratione inter Sacras Reliquias in Ecclesia Lateranensi; illamque ego obtinui videre, ac osculari Anno 1667. quo Romæ eram, & tunc intellexi, quod singulis annis in feria Quinta Cene Domini exponebatur publicè fidelium venerationi; & de ea agit Maslinus in *Christ. Schola cap. 21. pag. 174.* ubi citat Masellum, ac Theopulum de ea differentes. Duo ultima antiqua Cardinalium Diaconorum munia recesserunt ab aula, primo solum retento.

Præsentis tempore quinque sunt Officia, seu Ministeria eorumdem Eminentissimorum Diaconorum. 1. Primum est, de quo jam diximus, intervenire Pontifici, ac aliis Divinis officiis iuxta Rubricas Cærimoniarum Romanorum. Secundum est, dum eos Papa consulit, opinionem suam, ac votum ei cum veritate, ac sinceritate exprimere, tamquam boni, ac fideles Consultores, nullo habito respectu ad interesse vel sui, vel suorum, vel personarum, quibus sint obligati, sed solum Deum præ oculis habentes, iustitiam, ac servitium Christianæ Religionis, ut bene advertit Emin. Card. de Luca in *cit. Opuscul. il Cardinalis cap. 8. à num. 5. & seqq. de Benedic. Diacon. pag. 302. & 303.* tandem Sacra Rituum Congregatio die 15. Septembris 1668. resolvit, eisdem Emin. Cardinales Diaconos posse in suis Diaconiciis solemniter populum benedicere; & hanc sententiam Sacre Congregationis Clemens Papa IX. laudavit, & approbavit, ut sub eodem tit. de Benedic. Diacon. pag. 253. legitur, & continetur. Hæc de officiis Diaconorum Maximorum.

Secundum genus Diaconorum Majorum, de quorum ministeriis, & officiis nunc est agendum, comprehendit Archidiaconos, qui sunt instituti in Ecclesiis

cernentibus discutendis, ut docet scribit idem Emin. Card. de Luca in *Relat. Rom. Curie dist. 5. num. 1.* declarans ibidem, quod Consistorium aliud est publicum, in quo interveniunt non solum Cardinales, sed etiam Oratores Principum, & alii Prælati; aliud est secretum, in quo Cardinales tantum interfuncti; aliud verò Semi-secretum admittens etiam aliquos Prælatos, seu Ministros. Tertium officium, ac munus eorumdem Diaconorum Cardinalium (prout etiam aliorum Purpuratorum altioris Ordinis) est interesse Congregationibus Cardinalitibus, quibus sunt deputati, & quæ semel, bis aut pluries in hebdomada convocantur, præcipue in Congregatione Sancti Officii, Tridentini Concilii, Sacrorum Rituum, Episcoporum, ac Regularium; & aliis de quibus idem Card. de Luca in *d. Opuscul. il Card. a cap. 25. & seqq. ubi cap. 25. n. 2.* hanc notabilem reddit rationem: Perchè col mezzo di esse Congregationi più maturamente si esaminano, e si maturano i negozi più gravi.

Et ex his provenit Quartum munus, & officium principale eorumdem DD. Diaconorum Maximorum, videlicet Residentia, & onus residendi in Alma Urbe; ut possint præsto esse, quando Papa eos petit vel pro consilio, vel pro opere, & ut antedictas Cardinalitatis Congregationes non deserant; & tanti æstimatur eorum residentia, ac præsentia in Urbe, ut contra discedentes absque licentia Papæ, gravissimæ penæ inflicte sint in diversis Bullis Pontificiis, sed præcipue ab Innocentio X. in Constitutione XV. Incipien. Cum iuxta Sacrorum Canonum, &c. diei 19. Februarii 1646. Quintum tandem officium est, Apostolica Sede Vacante per mortem Papæ, intrare Conclave, & ad præscriptum solemnibus Bullæ Gregorii XV. eligere novum Pontificem; circa quam electionem plura differunt Canonistæ, ac Theologi, quos cumulat Barbosa de *Jur. Eccl. Univ. lib. 1. cap. 1.* ubi plenè de Summi Pontificis electione.

Disputabant olim Cærimonialistæ, Utrum spectaret ad officium Diaconi Cardinalis benedicere solemniter populo in suis Ecclesiis Titularibus, seu Diaconiciis? Et quæ plures negabant, prodire doctissimæ allegationes pro affirmativa, summo studio elaboratæ per Eminentissimos Cardinales Albicium, & Brancatium, nec non per eruditissimos antiquitatis, & Cærimoniarum profectores, Dominicum Magrimum, Jacobum Bonamicum, ac Franciscum Grisendum; quæ omnes impressæ leguntur in Opusculis ejusdem Eminentissimi Francisci Mariæ Cardinalis Brancatii sub titulo de Benedictione Diaconali, in quibus per plura collecta sunt argumenta, Jura, rationes, & Historiæ, inter quas, quod S. Benedictus Abbas se continuit in Ordine Diaconali, ut scriptum supra Decif. XIV. numer. 22. & Decif. XVI. numer. 8. prout etiam S. Maurus, ac S. Placidus Abbates Cassinenses ejusdem S. Patriarchæ spirituales filii, & tamen suis Monachis solemniter benedicebant; prout etiam quod Diaconus in Sabbato Sancto benedicit Cereum benedictione non solum deprecative, at simul constituti va, atque sanctificante, de qua nos infra num. 35. Quapropter rejecta opinione plurium Theologorum, ac Canonistarum dicentium Cardinales Diaconos non posse solemniter benedicere; videlicet Mioli, Tamburini, Panvini, Joannis Andreæ Franchi, & aliorum, qui referuntur in *d. Opuscul. de Benedic. Diacon. pag. 302. & 303.* tandem Sacra Rituum Congregatio die 15. Septembris 1668. resolvit, eisdem Emin. Cardinales Diaconos posse in suis Diaconiciis solemniter populum benedicere; & hanc sententiam Sacre Congregationis Clemens Papa IX. laudavit, & approbavit, ut sub eodem tit. de Benedic. Diacon. pag. 253. legitur, & continetur. Hæc de officiis Diaconorum Maximorum.

Secundum genus Diaconorum Majorum, de quorum ministeriis, & officiis nunc est agendum, comprehendit Archidiaconos, qui sunt instituti in Ecclesiis

24. his Cathedralibus, & Collegiatis. Hoc autem nomen Archidiaconus graecum est, & significat Principem Ministerium; componitur enim ab *Archos* quod est Princeps, & *Diaconus*, nempe Minister, ut obleruat Petr. Gregorius in *Synagoga Jur. lib. 23. cap. 20. in princ.* Reginaldus in *Praxi lib. 30. num. 49.* & Azorius *part. 2. libr. 3. cap. 14. quæst. 1.* Antiquitus Archidiaconi Dignitas prima post Episcopum erat; itaut Archidiaconi præcederent Archiepiscopis, Primiceriis, & aliis Dignitatibus de Capitulo in voce, loco, & aliis sessionibus, ut notant omnes Canonistæ in *cap. 1. De offic. Archid. Vulpes in praxi cap. 34. numer. 12.* Adden. ad Gregor. XV. decif. 411. numer. 5. & Loterius lib. 1. qu. 16. numer. 112. Processerat autem hæc majoritas Archidiaconorum è duplici fonte, nempe ex jurisdictione super totum Clerum, quam tamquam Vicarii Episcopi exercebant; & ex redditibus Ecclesiæ, quos colligebant, & administrabant, ut notat Gonzalez in *cap. 1. num. 3. de Offic. Archid.* ubi ita scribit: Eorum dignitas adeo primæ Ecclesiæ Saculis audita fuit, ut divitiarum, quas administrabant, potentia freti, clientela Diaconorum, & aliorum Ministeriorum, quibus imperabant, & assistunt Episcoporum, in quorum comitatu versabantur, favore intumescerent, & exuperant primas sedes occuparent, & non solum Presbyteris antepositi, ut in *cap. Legimus 93. dist. verum et Episcopis antepositi, cap. Diaconos, ead. dist. Quare opus fuit, ut Concilia generalia tantam arrogantiam Archidiaconorum compescerent, ut legitur in Nicæno can. 14. in Laodicens. can. 24. in Carthag. 4. can. 37. & in aliis apud eundem Gonzalez d. cap. 1. num. 4. & Morinum de *Sacr. Ordin. part. 3. Exercit. lib. 6. cap. 3. per totum.**

Hæc autem antiquis temporibus erant officia, ac ministeria, quæ de jure competeabant Archidiaconis. 1. Ad eos spectabat publica reconciliatio penitentium, *cap. 2. de Furi. ubi Gonzalez, Barbosa, & alii;* quibus addo Morinum de *Sacr. Panit. lib. 6. cap. 16. n. 12.* 2. Visitare Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas, si Episcopus esset impeditus, *cap. 1. de cap. Ad hæc, de Offic. Archid. 3.* Episcopo solemniter celebranti ministrare, & in choro deputare illos, qui lectiones in Officio divino recitent. *cap. Perleis, 21. dist. cap. 2. de Offic. Archid. 4.* Vasa diurnis Ecclesiæ usibus dicata sedulo custodire, *cap. Ea, quæ, de Offic. Archid. 5.* Clericos ad Ordines promovendos examinare. *cap. Ad hæc, cap. Ut nohem, eod. tit. cap. Unico, de Serutinio in Ord. fac. 6.* Eisdem Clericos examinatos Episcopo, ut eos ordinet, nomine Ecclesiæ præsentare, *d. cap. Ad hæc, & cap. Ut nostrum.* Vulpes in *Praxi cap. 8. num. 35.* Inspicere, an Primicerius, Cultos, Sacrista, & alii de Ecclesia in proprio munere sint diligentes, *d. cap. Perleis, 25. dist. cap. Ea quæ contra, de Offic. Archid. 8.* Abbates, & Abbatissas in sua Sede collocare, *d. cap. Ut nostrum, eod. tit. 9.* Lites, & jurgia Clericorum, audire, & terminare, atque errantes punire, *cap. Licet, de Panit. cap. Referent, de Præbend. 10.* Etiam censuras infligendo, sed habita licentia ab Episcopo. *cap. Archidiaconis, de Offic. Archid. 11.* Insituere beneficiatos, nomine tamen, & vice Episcopi, *cap. Si in plebibus, 63. dist. cap. Nullus, 16. qu. 7. 12.* Insuper ab Episcopo ponere in possessionem beneficiorum, *d. cap. Ad hæc, de Offic. Archid. 13.* Episcopo absente, & Vicarium proprium non habente, Episcopatus jura spiritualia, ac temporalia administrare; non tamen Sede Episcopali vacante, quia tunc hæc facultas spectat ad totum Capitulum. Barbosa de *Jur. Eccl. lib. 1. cap. 24. n. 35.* nisi Archidiaconus haberet pro se præscriptionem; ut respondit Rotæ ad favorem Archidiaconi Vicentini Anno 1624. ut legitur apud Positum de *Manuten. tom. 2. decif. 194.*

Cæterum hæc officia Archidiaconorum, quæ eis

de jure competeabant antiquitus, hodie per consuetudinem contrariam sunt immutata, & eis ablata; adeo ut circa eadem officia, ac ministeria attendenda sit consuetudo, *cap. Cum olim, de Consuetud. cap. 27. Ad hæc, de Excess. Prælat. Hinc in pluribus locis* Archidiaconi nec omnia prædicta officia exerceant, nec primam dignitatem dicuntur habere; prout hic Patavii, & in Collegiata Plebis Sacri hujus Patavinae Diocesis, in quibus Archiepiscopus obtinet primam Dignitatem, & habet præcedentiam super Archidiacono, & ponit in possessione beneficiatos, ut 28 scriptum olim Alexander conf. 142. *Viso processu lib. 6. & referre Barbosa d. lib. 1. cap. 24. num. 40.* ubi idem servari ait in Cathedrali Ecclesia Taurinensi, in qua pariter ad exemplum Ecclesiæ Patavinae Archiepiscopus est prima Dignitas; secunda autem Archidiaconus, in omnibus cedens locum, & præcedentiam Archiepiscopo, qui propterea interviit cum pluviali Episcopo Patavino solemnitè celebranti; & 29 eo absente in festivis solemnioribus diebus Archiepiscopus cantat Vesperas, ac Missam; non autem Archidiaconus, nisi casu quo Archiepiscopus esset absens, vel impeditus; & ita servatur in praxi hic Patavii. Illud autem est notandum, quod scribit Barbosa d. cap. 24. in princ. videlicet Archidiaconum esse debere Doctorem, vel in Theologia, vel in Jure Canonico ad præscriptum Concilii Tridentini *ess. 24. de Reform. cap. 12.* & juxta doctrinam omnium scribentium, quos ibi Barbosa cumulat num. 5.

Tertium genus Diaconorum complectitur nomen Diaconos, qui minores sunt, idest nulla prædicti dignitate, sed tantummodo sacro Diaconatus Ordine insigniti; & horum Officia, ac ministeria alia sunt de jure Divino; & alia ex commissione Ecclesiæ. Ministeria Diaconorum, ad eos ex jure Divino pertinentia, hæc sunt. I. Promulgare populo Evangelium tum illud cantando in Missa solemni, tum illud prædicando, ut constat Exemplo S. Stephani primi Diaconi Act. 6. & ex Pontificali Romano, quod in ordinatione Diaconorum hæc habet ad illos: *Curate, ut quibus Evangelium ore annunciat, vobis operibus exponatis.* Et in actu Ordinationis: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei &c. II.* Dispensare Sacram Eucharistiam populo; non autem illam offerre in Sacrificium, ut demonstrat Cabasutius in *Notitia Concilior. Seculo IV. Ad Concil. Ancon. Anno 314. can. 2.* Hinc in Actibus Apostolorum *cap. 6.* Diaconi electi sunt ab Apostolis, ut ministrarent Mensis, quæ quidem erant duplicis generis; Sacra, in quibus distribuatur fidelibus Corpus, & Sanguis Christi, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. Panis, quem frangimus, nonne participatio Domini est? Et illud: *Quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Et profane, in quibus post complementum Divinorum officiorum elargiebatur in Ecclesia cibus materialis iisdem fidelibus, juxta provisionem, quam quilibet sibi fecerat, unde de hoc ait idem Apostolus 1. Cor. 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Igitur septem primi Diaconi ordinati fuerunt, ut assisterent Mensæ Sacrae, distribuendo Sanctissimam Eucharistiam; non autem solum mensis profanis, quia pro his non erat opus ordinatione. Hinc Sanctus Laurentius Leuita aiebat S. Xyxo Papæ cuncti ad Martyrium: *Experire, Utrum idoneum ministrum elegeris, cui commissi Domini Sanguinis dispensationem.* III. Ministrare, ac intervenire Sacerdoti celebranti. *cap. Cleros, dist. 21.* ubi dicitur: *Diaconi succedunt Levitis, qui in mysticis illis Sacramentis veteribus Sacerdoti ministrabant.* Diaconus graecè idem sonat, ac latinè Minister, quia sicut in Sacerdote consecratur, ita in Diacono ministerii deputatio habetur. Prout etiam in *cap. Perleis, dist. 25.* Ad Diaconum pertinet Sacerdotibus ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramen-

cramentis Christi. IV. Diaconorum officium pariter de Jure Divino ipsis competentis est solemniter baptizare: de commissione tamen Episcopi, vel Parochi, nisi in casu necessitatis, Sacerdotibus deficientibus. Prima pars probatur exemplo Philippi Diaconi tempore Apostolorum, qui baptizabat. *Act. 6. & in cap. Pericles diff. 25.* Secunda pars desumitur ex *cap. Constat. de Consecr. diff. 4.* ubi ita dicitur: Baptismi ministerium nec ipsis Diaconis ex parte est ficitum, abique Episcopo, vel Presbytero, nisi, his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. Ergo in hoc casu potest solemniter baptizare, id est faciendo Exorcismos, & recitando omnes Orationes, ut in Rituali Romano; quia in necessitate omnis persona privata, id est sola ablutione aquæ, baptismum dare potest. *cap. In necessitate. cap. Mulier. diff. 93.* Et sic tenet Eminent. Card. de Lauræa de Sacram. Ordinis disput. 6. n. 124. & egodixi in meis Decisionibus de Baptismo Decif. 28. n. 2. & Decif. 35. num. 4. & hæc sunt quatuor ministeria, quæ de Jure Divino competunt Diaconis ex vi sui characteris, & Sacre Ordinationis.

Ex commissione autem Ecclesiæ, & sic de Jure Ecclesiastico olim spectabant, & nunc spectare possunt ad Diaconos sequentia officia. 1. Gerere curam pauperum, eis elemosynas largiendo, ut legitur de Sancto Laurentio. 2. In collectione, & custodia reddituum Ecclesiæ. *cap. Volumus. cap. Diaconum 89. diff. 3.* Instruere Catechumenos, & eos ad Baptismum disponere. S. Dionys. de Eccles. Hierar. cap. 2. nec non Missam Catechumenorum celebrare. Morinus de Sacramento Penitentiae lib. 6. cap. 10. num. 3. Erat autem Missa Catechumenorum ab Introitu usque ad Offertorium, ut ibi Morinus probat, subdens lib. 8. cap. 24. quod aliquando totam Missam dicere præsumperunt, sed fuerunt repressi. 4. Curare, ut in Ecclesia omnia fiant cum modestia, & sine strepitu. S. Clemens Papa Apostol. Constit. lib. 2. cap. 44. ubi præcipitur, quod Diaconus sit Episcopi auris, oculus, os, cor, & anima. 5. Custodire Episcopum prædicantem. *cap. Diaconi, 93. diff. 6.* Cantare Psalmos in Choro, ex S. Fabiani Epist. 1. in princ. Et 7. cantare Præconium Exultet, ac benedicere Cereum Paschalem in die Sabbati Sancti.

Quod si Lector quærat, an hæc benedictio Cerei competat Diacono ex Jure Divino? vel ex commissione Ecclesiæ? Dubia est responsio; nam quod sit ex Jure Divino facit, quia Præconium illud est Evangelizatio Resurrectionis Christi; at Evangelium cantatur à Diacono, ut dictum est supra, de Jure Divino. Item quia Diaconus antea benedicitur à Celebrante ipsis verbis, quibus utitur in benedicens illum ante Evangelium, nempe Dominus sit in corde tuo &c. E contra quod sit ex sola commissione Ecclesiæ urget, quia soli Sacerdotes de Jure Divino benediciunt; & benedictiones rerum in Ecclesia faciunt, ad quem effectum in eorum ordinatione Episcopus ungit Oleo Sacro eorum manus dicens: Ut quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecraverint, consecrentur. Ideo DD. ajunt de Jure Divino nullum inferiorem Sacerdoti posse benedicere. Quartus de benedictionibus. tit. 1. sect. 4. dub. 2. & ibi Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 15. sect. 3. Nec obstat, quod Diaconus petat, & recipiat benedictionem à Celebrante pari modo, ac verbis, quibus ad cantandum Evangelium: Nam quod ad ipsum Diaconum magna est differentia; non enim recitat præcedentem Orationem: Munda cor meum, ac labia mea Omnipotens Deus &c. ut advertit Baudry in Manuali Sacrar. Ceremon. part. 4. cap. 12. art. 3. num. 1. Ergo non ex Jure Divino, sed ex commissione Ecclesiæ peragitur illam benedictionem.

Quod si iterum quis petat, Cur Ecclesia commiserit benedictionem Cerei Paschalis, & decantationem illius Præconii Exultet ipsi Diacono, non autem 37 Sacerdoti? Respondet idem Quartus eod. trañ. de Be-

nedictionibus. tit. 2. sect. 6. dub. 1. his verbis: Quia Christus postquam resurrexit à mortuis, se primum manifestavit Mariæ Magdalene, cui eam commisit, ut hoc Mysterium alius nuntiaret, ut sciret mortis initium per mulierem, id est per debiliorem sexum in mundum intraverat; ita novæ vitæ, seu Resurrectionis initium per mulierem, & sexum debiliorem nuntiaretur. Hinc in representationem huius Mysterii non designatur celebrans ad cantandum Præconium, quo benedicitur Cereus, & nuntiatur populo gloria Resurrectionis Christi; sed Minister inferioris Ordinis, videlicet Diaconus. Ita Rupertus de Divin. Offic. lib. 6. cap. 30. & Durandus in Ration. lib. 7. cap. 80. n. 3.

Tandem omittere non debemus alterum officium Diaconorum Ecclesiæ Orientalis, præter omnia supradicta, quæ sunt in usu in Ecclesia Latina. Siquidem Diaconi Græci exercent ministeria, & officia huculque recensita; sed ulterius in Missa, dum inservunt celebranti, tenent Flabellum in manu, illud leniter, sed jugiter moventes ad muscas abigendas, quod Flabellum compositum est ex pennis Pavonum; & traditur Diaconis Græcis in eorum Ordinatione ab Episcopo, ut in Ritualibus Ordinationum Græcarum apud Morinum de Sac. Ordin. p. 2. pag. 89. & notat Magrius in Hierol. Verb. Flabellum, ubi refert hæc verba, quæ leguntur apud Suerium die 3. Aprilis in Vita S. Nicetæ. Sanctus vero Athanasius affligebat cogitatione, & mente tota intentus, ministerii formula, qua Episcopus Græcos ordinans Diaconum dat ei Flabellum, apud eundem Morinum d. pag. 89.

Duo autem notatu digna subdit Magrius ibidem. Unum est mysterium, seu mystica significatio ejusdem Flabelli; quam esse dicit S. Germanus representationem Seraphinorum sex alas habentium, ac Cherubinorum, qui sunt pleni oculis, ut innuunt pennæ Pavonum formantes Flabellum. At S. Hildebertus aiebat, abigere muscas de Altari tempore Sacrificii cum Flabello esse expulsiorem omnium malarum cogitationum de mente Sacrificantis. Alterum est Ritus Maronitarum utentium pariter istud Flabellum in Missa, de quibus idem Magrius ita: Maronitæ vero orbiculatis Flabellis ex argenteis, seu cupreis laminibus utuntur, ac circumcirca Tininnabula addunt, quæ à duobus Clericis hinc inde post Celebrantem tremulo motu agitantur. Imò ipse Sacerdos pronuntiando illa verba, Sanctus, Sanctus &c. tremorem Beatorum Spirituum manibus representat, qui tremor tunc in Organi pulsatione solent etiam ponere varias Ecclesias formari. Utique hic Patavii mos est, ad elevationem Hostiæ, & Calicis in Missa solemniori, Organi sonum tremulentum facere ob hoc mysterium; paucis tamen, ne dicam nulli, cognitum.

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Antiquarum Diaconissarum originem, Ordinationem, Ministeria, ac Abolitionem continet hæc Decisio. In ea declaratur quadruplex genus Mulierum Deo dedicatarum, & ex his olim unum erant Diaconissæ. Referuntur Ritus, quibus ordinabantur; & inquiritur, an earum Ordinatio esset Sacramentum? Recensentur earundem Ministeria octo; & causæ, ob quas recesserunt ab Aula.

SUMMARIUM.

1. Mulierum Deo dedicatarum olim genere quatuor.
2. Virgines Sanctimoniales erant tempore Apostolorum.

3. S. Mar-

3. S. Marthe Virginis vita Monastica.
4. Vidue in initio Ecclesiæ se Deo dedicabant cum voto castitatis.
5. Vela sex mulierum Deo dedicatarum. Et quæ?
6. Velum probationis datur Monialibus Novitiis.
7. Velum Professionis, & Velum Consecrationis Monialium Professarum.
8. Velum Prælationis olim dabatur Abbatissis perpetuis?
9. Velum Conversionis erat, quod dabatur Viduis.
10. Velum Ordinationis erat illud Diaconissarum.
11. Uxores illorum, qui sumebant Ordines sacros, Deo serviebant emissio continentie voto.
12. Episcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacone quænam essent?
13. Græci sumentes Ordines sacros non dimitunt Uxores.
14. Diaconissæ verò, & propriè quænam olim essent?
15. Diaconissarum origo tempore Apostolorum.
16. Phœbes, de qua in Epist. ad Rom. 16. 1. quænam esset?
17. Cenchri qui esset locus?
18. Diaconissarum mentio apud SS. Patres antiquos.
19. S. Martina V. & M. Romana fuit Diaconissa.
20. Theofobia Uxor S. Gregorii Nisæni Diaconissa.
21. Diaconissæ Constantinopolitane nobilissime.
22. Bibliotheca Monasterii S. Justine de Padua laudata.
23. Diaconissarum Ordinationis formula ex S. Clemente Papa.
24. Ritualium Græcorum alia formula.
25. Ritus Romanus in consecrando Diaconissam.
26. Stola, Velum, & Annulus dabatur Diaconissis in Ordinatione.
27. Diaconissæ an Ordinis Sacramentum recipere?
28. Benedicebantur, non ordinabantur.
29. Manuum impositionis genera duo. Et quæ?
30. Mulieres non sunt capaces Sacramenti Ordinis. Et num. 38.
31. Balsamina Auditori Græci verba de Ordine Diaconissarum.
32. Constitutiones Apostolicæ S. Clementis quas objectiones patiantur?
33. Ordinare Diaconissas significat, eas benedicere.
34. Arcudii sensus circa Ordinem Diaconissarum.
35. Diaconissarum officia, ac Ministeria octo.
36. Mulieres in Ecclesiis separate à Viris.
37. Catechumene docebantur à Diaconissis articulos fidei.
38. Baptismus dabatur antiquitus per trinam immersionem totius corporis in Aqua.
39. Mulieres baptizandæ spoliabantur, & vestiebantur à Diaconissis.
40. Diaconissæ tempore persecutionum visitabant in domibus, & confortabant Mulieres Christianas.
41. Elemosine dispensabantur à Diaconissis.
42. Infirme ab eis visitabantur.
43. Extrema Unctio dum eis dabatur, affligebant.
44. Mortui vestiebant, & orabant.
45. Diaconissæ quando cessarent in Ecclesia?
46. Diaconissæ cur extinctæ in Ecclesia?
47. Matrone doctores Doctrinam Christianam puellas Venetiis, ac Patavii.
48. Mediolani extat species quædam Diaconissarum.

Explicatis Diaconorum officiis, nec inutile, nec injucundum erit exponere hic in unum, quidquid ipsarum legitur apud antiquos Conciliorum Canones de Diaconissis. Igitur de his quatuor examinabimus, & docebimus:

1. Quænam essent Diaconissæ? & quando inceperint?
2. Quomodo ordinarentur?
3. Quæ earum Officia, ac Ministeria?

4. Quomodo, quando, & cur Diaconissæ cessarent?

Quod ad Primum, Præmittere oportet, quod in primis Ecclesiæ sæculis quatuor erant genera mulierum Deo dedicatarum. In primo genere ponebantur Virgines, quæ statim post publicationem Evangelii votum Virginitatis emittebant, ac se Deo consecrabant, quarum primæ fuerunt quatuor filie Philippi Diaconi, de quibus in Actibus Apostolorum cap. 21. num. 9. dicitur: Huic autem (Philippo Diacono Evangelium prædicanti in Cæsarea) erant quatuor Filie Virgines prophetantes; id est divinas laudes celebrantes, ut nunc faciunt Moniales, & notat ibi Cornelius à Lapide, ex eo, quod etiam in libris Regum vocantur Filii Prophetarum, qui Psalmis, & Divinis Laudibus vacabant; subdens, quod ævo S. Hieronymi extabant Cæsareæ domuscula, & cubacula Filiarum harum Virginum Philippi, quæ S. Paula itura Hierosolymam, cum venisset Cæsaream, pio invitis affectu, ut ipse testatur in ejus Epitaphio. Inter easdem primas Virgines Deo consecratas recensenda est S. Martha soror Mariæ Magdalene, ac Lazari, quæ post Ascensionem Domini à Judæis in navim posita unam cum sorore, fratre, & aliis Christi discipulis sine velo, ac remigio, vastissimoque mari ad certum naufragium data fuit: sed navis Deo gubernante, salvis omnibus Massiliam appulit, ac Martha, (ut ait Breviarium Romanum die 29. Julii) mirabili vires sanctitate, & charitate, omnium Massiliensium animis in sui amorem, & admirationem adducit, in locum à viris remotum (nempe Monasterium) cum aliquot honestissimis feminis se recepit. Verum de hoc primo genere sic scribit Giballinus De Clausura Regulari Disquisit. 1. cap. 1. num. 3. Virgines Deo solemniter Voto dicant duplicis generis olim fuerant. Aliæ enim domi sue cum parentibus, & cognatis alebantur, & si quæ divites essent, alias sibi locas, ejusdemque propositi assignabant, cujusmodi erat Marcellina Ambrosii soror, Romæ à Liberio Pontifice Deo consecrata, ut ipse testatur lib. 3. de Virginit. Eusebium, Principia, Demetria, & aliæ, quarum S. Hieronymus sæpe meminit. Aliæ verò Virgines in Monasteriis, & Asceteriis simul agebant antiqua Apostolorum disciplina; nam Collegia Virginum salutis Ignatius Epist. 10. 12. & 13. & Clemens Romanus apud Epiphanium Hæres. 10. earumdem meminit; quod etiam testatur Hieronymus lib. 1. adv. Jovinian. & alii antiquiores passim indicant.

Secundum genus Mulierum Deo dedicatarum erant Viduæ, quæ defuncto marito castitatem Deo volebant: & hæc pariter vel vivebant in Monasteriis cum Virginitibus, vel domi suæ cum parentibus, sub peculiari tamen Episcopi cura, prout dissert Morinus de Sacram. Ordin. part. 3. Exercit. 10. cap. 1. n. 2. advertens hanc fuisse differentiam inter dedicationem, seu consecrationem Virginum, ac Viduarum; quod illis velum sacrum dabatur ab Episcopo, istis autem à Presbytero iuxta Conciliorum Canones, & Summorum Pontificum Epistolæ, quas ibi allegat; quibus ego addo textum in cap. fin. 20. quest. 1. Porro hic notandum venit, quod docet Jordanus Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 5. n. 6. & segg. sex scilicet reperiri species facierum Velorum. Unum est Velum probationis, quod datur Monialibus Novitiis deferendum cum habitu Religioso per annum, antequam profiteantur, ut interim probent difficultates Religionis, & e contra Moniales observent earum mores, & qualitates ad præscriptum S. Concilii Tridentini sess. 25. cap. 6. 15. de Regularib. & hoc Velum vocatur etiam Velum album, & Velum Conversionis. Hostien. in Sum. de Tempor. Ordin. n. 4. Secundum est Velum Professionis, quod imponitur Monialibus professibus perpetuam castitatem, paupertatem, ac obedientiam,